



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1100. Usque Ad Annum 1143

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1762

VD18 90117999

§. 56. Gelasius Papa in Provincia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66385](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66385)

- Sæcul. XII. tur. Quin non nunquam exhibant, ut
 A.C. 1118. patrem suum matremve ægrotantem so-
 larentur. Sæpe diversa alimenta præ-
 scribuntur in Quadragesima, aliisque
 c. 46. Sc. diebus jejunii. Quando in tempus je-
 junii dies festi incidebant, aliquid de ab-
 stinentia juxta consuetudinem Ecclesiæ
 Græcæ relaxabatur, quæ tamen indul-
 gentia non ad plura quam ad usum olei,
 vini, aut piscium extendebatur. Reli-
 giosa & stricta paupertas a Regula com-
 mendatur, & prohibetur omnis proprie-
 tas. Omnes Moniales singulis mensibus
 c. 50. Sc. semel balneo utantur, infirmæ toties,
 quoties præscripserit medicus, qui vel
 spado vel senex decrepitus sit. Quia an-
 gustus erat locus defunctæ Moniales ex-
 tra monasterium sepeliebantur; ac in
 hunc finem Irene Imperatrix exiguum
 monasterium, Cellareum dictum, & ma-
 gnæ Ecclesiæ subjectum a Nicolao Pa-
 triarcha obtinuerat, quo mortuæ trans-
 ferebantur, tot monialibus, quot Abba-
 tissa præcepisset, exequias ducentibus.
 Hæc de Constitutionibus Monasterii, ab
 Irene Imperatrice extracti, memoranda
 mihi videbantur.

§. LVI.

Gelasius Papa in Provincia.

Gelasius II. Papa, cum tuto Romæ ver-
 sari non posset, ex urbe excessit, se-
 cunda

cunda die Septembris, anno millesimo Sæcul. XII.
centesimo decimo octavo, comitantibus A.C.1118.
duobus Presbyteris Cardinalibus, Joanne Cremensi & Guidone Sanctæ Balbi- Pandul. n.
næ, item Cardinalibus Diaconis quatuor, 16.
quorum primus erat Petrus Leonis, cum
duobus Equitibus Romanis, eorumque
sociis. Pisis cum omnibus suis honori-
fice exceptus Papa in illa Civitate Ser-
monem habuit, quem ab arte bene di-
cendi commendandum esse dixerunt. (*)
Ibi aliquamdiu commoratus, mari iterum
se credit, & portum Villæ S. Ægidii at-
tingit; ubi eum Hugo Abbas cum tota
sua Congregatione peramicè receptum
non modico tempore liberaliter habuit.
Ibidem omnes illius Regionis Episcopi,
plurimi Monachi, Nobiles, cives, ad Pa-
pam confluentes, obsequia certatim offe-
rebant. Pontius Abbas Cluniacensis præ-
ter alia munuscula Pontifici equos trigin-
ta dedit, & Abbas S. Ægidii decem, qui-
bus in illa regione iter faciens veheba-
tur.

(*) De hac Pontificis oratione Palatius in
Gelasio: obviam exiere venienti Clerus populus-
que coram quibus super illa Psalmistæ: Dixi
pronunciabo adversus me injustitias meas, & tu
remisisti impietatem cordis mei, talem sermonem
habuit, qualem vix Origenes habuisset in carne.

Hist. Eccles. Tom. XVI.

Cc

Sæcul. XII. tur. Ecclesias Papa consecravit tres, po-
A.C. 1118. suitque terminos, intra quos nefas esset,
 ad hoc asylum confugientes capere. Pri-
 matum Ecclesiæ Toletanæ, Bulla ad Ber-
 nardum Archiepiscopum directa, & in
 monasterio S. Ægidii septima Novem-
 bris data, confirmavit.

§. LVII.

S. Norberti Exordia.

vit. ap. Boll. **G**elasium Papam in Provincia degen-
6. Jun tom. tem S. Norbertus adiit, ab eoque
19. p. 821. licentiam prædicandi obtinuit. Erat
 Norbertus nobilis juvenis ex Gente Ger-
 manorum, Santeni in Ducatu Cliviæ na-
 tus, qui literis imbutus & Clericali mi-
 litia adscriptus Subdiaconatum accepe-
 rat. In hoc Ordine constitutus primum
 Friderici Archiepiscopi Coloniensis, de-
 inde Henrici Imperatoris Curiam secu-
 tus est, & dubitari potuit, an ob nobi-
 litatem generis & opulentiam, vel ob
 eximias dotes, corporis habitum supra
 vulgarem, faciem liberalem, scientiam
 eximiam, humanitatem, munificentiam
 & lenitatem cunctis carior fuerit. Sed
 tanta prosperitas adolescentem præ-
 stantissimum perditum ibat; quippe sa-
 culo arridente, æternitatis immemor, to-
 tum animum ambitione & voluptate oc-
 cupari